

claruit miraculis in obitu suo. Quia quando obiit in profesto sancti Thome de Aquino in hieme circa IX<sup>am</sup> horam fuit circa eius cellam auditus cantus multarum avium unde sunt testes bene decem qui hoc audierunt et sepultus est in nostro cemeterio Anno XV<sup>c</sup> tertio.

**I**tem anno dominice incarnationis M.Cccc.Lviii quinto idus Januarii Pontificatus summi pontificis Pii secundi anno suo primo, Idem summus Pontifex confirmavit domum nostram nostre Domine de Gratia prope Bruxellam ordinis Cartusiensis cum extensione privilegiorum omnium et singulorum totius ordinis ac aliis domibus concessis. ad dictam domum nostre Domine de Gratia et fratribus in ea degentibus prout ad longum patet in Bulla desuper confecta cuius copia habetur in 3<sup>o</sup> libro huius operis de anno predicto.

**I**tem eodem anno receptus fuit hic ad osculum dominus *Joannes Bruyne*, sacerdos secularis natus in Flandria prope *Herselle* et existens Capellanus dominus de Robbays militis in insulis quasi circiter XI annorum suscepit ordinem et primus fecit professionem in domo ista sub priore *Henrico Primo*. Et paucis annis in cella et silentio transactis scilicet circa triennium recedente fratre *Jacobo Russche* vicario huius domus ad domum Hollandie professionis sue prime et propterea ordinato Fratre *Jaspere* procurator huius domus in Vicarium. Ordinatus est frater *Joannes de Bruyne* procurator qui quasi implevit unum antiphonarium magnum et multa scripsit et fabricavit ex quo totus agilis fuit. Et apportavit huic domui vitam Jesu Christi secundum Ludolfum duobus voluminibus scriptam propriis manibus in seculo dum adhuc erat et complens quinque annos cum dimidio fideliter officium procuratoris petiit instanter absolutionem. In visitatione circa Martini quo misericordiam impetrato facta est hic mutatio. Nam Frater *Joannes de Bruyne* factus est Vicarius. et pro eo factus est Frater *Jaspar* Procurator. et completo quadriennio sc anno Lxx<sup>1</sup> missus est frater *Jaspar* procurator ad novam plantationem in Delft, et ideo factus est iterum frater *Joannes de Bruyne* Procurator qui et perseveravit in eodem officio quasi XXvii annis. Quot autem labores discursus et contradictiones sustinuit non est meum enarrare. Sed etiam novam Silvam quasi ut sic dicam propriis humeris plantavit et fontem et canales primus adinvenit. Tempore autem guerrarum sollicitudines mirabiles in corde et corpore portavit. sed et scandala et vituperia et opprobria

---

<sup>1</sup> Ajouté dans la marge.

patienter propter commodum fratrum sustinuit priusquam tenuem victum et amictum pro conventu acquirere valuit. Sed et a Gandensibus suis patriothis(*sic*) captus fuit ut in sequentibus patebit et multa alia fecit quia totus diligens fuit et cum diligentia experientiam habuit. Tandem cum provento etatis fuisset nec amplius laborare propter senium potuisset et etiam suis infirmitatibus hoc exigentibus petiit misericordiam et obtinuit pro tunc in cella sua super lectum procumbente Anno M.Cccc.Xcvii die Petri et Pauli. Sed et post modicum tempus convaluit et quasi duobus annis adhuc diligens Sacrista fuit et ceteris in exemplum. Obiit autem in profesto Ascensionis domini que tunc fuit Octava Maii. Cuius anima cum predestinatis requiescat in pace. Amen. Fatebatur ante mortem se numquam intrasse ordinem si scivisset se fuisse officarium.

**I**tem eodem anno illustrissima Domina Ducissa Isabella alias Elizabeth filia Regis Portugalie ac Ducissa Burgundie et cetera sive secundum alios statim post adventum fratrum ad istam domum proprio motu non rogata dedit pro quatuor primis cellis principalibus edificandis Sexcentas coronas quamlibet ad Xxiiii st de quibus tres fuerunt complete et quarta fuit pro parte constructa sed cum predicta pecunia perfici non potuit que pecunie fuerunt recepte ab Anno M.Cccc.Lix et citra et tunc due celle incepte et perfecte, alie annis posterioribus. Item Anno Lxvii secunda Pentacostes eadem Ducissa pro quinta cella proxima predictis quam debuit facere filius eius Dominus Carolus Comes de Serloys de suis propriis misit hic pro filio eiusdem Centum quinquaginta coronas quamlibet de Xxiiii St quibus dicta quinta cella fuit constructa ~~totum~~ veram residuum quod minus erat pro structura quarte celle et huius quinte suppletum est de pecunia domus. Item eadem Ducissa alia dona dedit huic domui et Capelle tam in ornamentis quam etiam in pecuniis et cetera que scripta sunt in registro prioris et procuratoris et libro donationum cum aliis qui etiam similia hic dederunt.

**I**tem anno M.Cccc.Lviii xvi<sup>a</sup> Martii domus B. Catherine ordinis Cartusiensis iuxta Antverpiam et Anno sequenti in crastino Marci Evangeliste domus maioris Cartusie domum ter Arcke Bruxelles situatum cum omnibus suis attinentiis

f° 34<sup>v</sup>

et bonis donatione perpetua ac irrevocabili inter vivos deliberationem desuper cum conventibus sufficienti prehabita domui huic tradiderunt et assignaverunt per literas patentes que habentur in copiis literarum possessionum et hereditatum ita quod Prior et conventus Antverpie nec ius hospitandi nec onus edificandi amodo habere voluerint (*sic*) in dicta aut alia domo sed solum domus maioris Cartusie in subsidium quemlibet de Xi St ac equaliter cum domo gratie habeat ius hospiti ac onus conservandi domus iuxta Capellam Beate Marie Magda etc ubi supra.

Copia donationis predicte domus de manu et sigillo prioris Antverpie.

**E**go frater *Arnoldus* indignus prior domus Beate Catherine prope Antverpiam ordinis Cartusiensis. Notum facimus universis quod maturo tractatu prehabito cum toto conventu domus nostre prefate sentimenta vota que singulorum investigando statui mecum et decrevi hospitium domus *de Arka* Oppidi Bruxellensis saltim quo ad partem prefatam domum nostram contingentem ne cessio iuris nostri in eadem nobis ac posteris nostris divine mercedis fructu defraudari contingat liberaliter ac perpetue donari domui beate Marie de Gratia prope Bruxellam prefati ordinis quatenus qualicumque subsidio nostro temporali in sua tenui pro presenti dotatione promota fratrum in eadem degentium orationum participes in perpetuum mereamur. In testimonium sigillum officii mei presentibus duxi apponendum. Anno domini M.Cccc.Lviii Xvi mensis Martii.

Copia missive prioris Capelle super eadem materia.

**V**enerabilis in Christo pater proponendo conventui nostro alias de hospicio *ter Arcken* responsum accepi numquam propositum fuisse eidem conventui nec unquam acceptasse. sed tantum quicquid actum est per conversum operatum sine conventus consensu fuisse qui conventus prefatus sicut numquam acceptavit ita nec nunc acceptare velle, nec ius aliquod in illo habere se asservit sed stare voluit liber et immunis de omnibus ad dictum hospitium pertinentibus. Valet in Christo mei memoriam in orationibus agendo. Raptim ex Alosto sabbato ante letare. Frater vester ac servus Capelle licet indignus manu propria.

**I**tem eodem Anno Lviii ante pascha in XI<sup>o</sup> quando pater noster *Henricus Loen* pie memorie equitavit versus Capitulum ad Cartusiam

f° 35.

circa Vi lib Gr donatione inter vivos diversis vicibus de quibus fiebat preparatio pro cella eiusdem donatoris sc *Henrici vanden Heetvelde* qui postmodum factus est hic conversus ut patebit et dedit domui multa bona.

**A**nno M.Cccc.Lix circa festum Marci Evangeliste frater *Henricus vanden Heetvelde* fuit receptus ad osculum ad statum conversi pro quo fiebat tunc etiam una cella iuxta cellam portarii veteris edificii suis expensis qui fuit vestitus eodem anno Sexta Junii et professionem fecit anno sequenti qui fuit ultra XI annos. antequam ordinem intravit et laudabiliter tam Bruxelle quia de nobilibus oppidi fuit, vixit, et in seculo quam etiam in ordine vir simplex et pius qui multa passus ~~fecit de~~ ex calculo et hictericia. Etiam postquam extremam unxionem acceperat et in accipiendo ex magna pena mirabiliter Sanctos suos in clamavit in adiutorium quare tam diu expectarent et non venirent in eius adiutorium, solus surrexit et sine adiutorio cum baculo suo ad necessitatem ivit et redit ad lectum regratiando deo ex quo ~~que~~ eo quod ei talem gratiam contulit quod in tali heremitagio mori posset. Et sic a profesto Martini circa horam prandii usque ad horam decimam vel circiter semper disponendo se ad mortem die eiusdem de nocte permansit et tunc spiritum emisit. Post cuius defunctionem corpus eius quod in vita eius glaucum per totum fuit album et pulchrum apparuit. Unde domus multa bona retinuit ut patet in libro hereditatum et etiam donationum que ipse donavit domui ad suam professionem cum consensu suorum heredum fratrum et sororum. Qui obiit anno M.Cccc.Lxxii die sancti Martini post completorium circa horam decimam.

**E**odem Anno Lix circa festum Magdalene electus fuit vicarius huius domus frater *Joannes Balen* professus monachus domus Capelle in priorem domus de Zeelem prope Diest qui tempore prioratus sui ibidem fecit hic multas eleemosinas et post aliquot annos misericordiam impetravit et in domo professionis sue multa passus ex arthetica passione vitam gratiose finivit circa adventum domini anno Lxxv. Et loco eius venit ad domum istam per literam visitatorum frater *Jacobus Russche de Harlem* monachus professus domus beate Marie prope montem sancte Gertrudis in Hollandia. Qui loco dicti fratris *Joannis Balen* postquam parvo tempore hic fuit factus est vicarius huius domus circa duos annos et iterum rediit ad domum sue professionis ibidemquam factus postmodum Prior in eodem officio obiit circa visitationem Virginis Gloriose anno M.Cccc.Lxxiii.

**I**tem circa illud tempus venit ad domum istam frater *Adrianus Keppel* monachus professus domus Brugis de domo Distensi qui fuit hic tamquam hospes et solvit expensas circa unum annum, qui scripsit hic parvum librum cantualem pro cantore ebdomadario et recessit de ista domo ad domum Gosnail.

**A**nno M.Cccc.Lix die Xxi<sup>a</sup> Augusti pro bono pacis et concordie inter Capitulum anderlectense et Cartusienses nostre Domine de Gratia magister *Petrus de Thimo* arbiter inter eos sepe prefatus laudatus et arbitratus est hos Xiii Articulos qui latius patent in instrumento desuper confecto et copia ipsius habetur in libro copiarum huiusmodi.

Primo quod Festum beati Petri ad vincula celebre habebimus in festum capituli secundum modum ordinis. Et festum sancti Guidonis Xii septembris festum trium lectionum. Et quod pior(*sic*) semel in anno dummodo per triduum antea fuerit invitatus capitulo Anderlectensi intererit nisi canonicum impedimentum obstat et primum locum post decanum obtinebit aut eo non valente procurator qui ultimum locum obtinebit.

**S**ecundo quod infra septam dicti monasterii nullum beneficium vel officium Ecclesiasticum poterit fundari per quemcumque clericum vel sacerdotem tenendum in titulum. Neque in Capella nostre Domine de Gratia sine expresso et unanimi consensu decani et Capituli ac Prioris et conventus predictorum. Et si fundaretur tunc prima collatio ad Capitulum et secunda ad priorem pertinebit et sic semper alternatim. Institutio vero semper ad Capitulum pertinebit.

**T**ertio quod familiares monasterii qui non facerunt(*sic*) votum et alii seculares infra septa monasterii morantes in quatuor principalibus festivitibus sc Nativitatis christi Pasche Pentecostes et Assumptionis Marie debent dictam Ecclesiam parochialem Anderlectensem visitare Missam ibi et divinum officium audire et suas oblationes facere et saltim semel in anno circa festum Pasce curato ibidem confiteri et ab eodem Eucharistiam sumere, nisi curatus cum ipsis desuper dispensaverit, iure dicte Ecclesie parrhocalis in omnibus salvo hoc est oblationibus ibidem mittendis. Extra septa monasterii habitantes erunt sicut alii seculares de eadem Parrhocalia.

**Q**uarto quod monachos professos conversos atque donatos et novitios qui tempore sanitatis habitum ordinis dicti susceperunt et in habitu ante professionem decesserunt libere poterunt nostri sepelire. Si autem quis Parrhocalianus Anderlectensis habitum nostrum in infirmitate susceperit et decesserit in infirmitate

fratres poterunt eum sepelire sed de oblationibus funeralibus et legatis pars quarta veniet Ecclesie Anderlectensi sc capitulo et curato.

**Q**uinto quod fratres familiares et seculares infra septa monasterii morantes et decedentes poterunt tumulare salva quarta parte funeralium et relictorum pro Ecclesia Parochiali. quam quartam partem ipsi capitulum et curatus quo ad familiares remittere debent de gratia quoties petatur.

**S**exto quod qui non sunt de Parrhoccia Anderlectensis et elegerint sepulturam apud dictos fratres absque aliqua exactione a Capitulo Anderlectensi dicti fratres poterunt sepelire salvo iure parrhoccialis Ecclesie ipsius defuncti tempore mortis sue.

**S**eptimo quod nemo ex nostris poterit inducere aliquem parrhoccianum Ecclesie Anderlectensis ut nobiscum eligat sepulturam sub certa pena in originali contenta que de iure est sententia excommunicationis maioris.

**O**ctavo quod parrhocciani ecclesie anderlectensis extra septa nostra morantes sed nobiscum sepulturam eligentes non possunt nobiscum sepeliri nisi de licentia Capituli seu curati vel saltim nisi ibidem suum ultimum vale susceperint etc ut in principali.

**N**ono quod si in Ecclesia Anderlectensi et etiam nobiscum fiat officium funerale tunc quilibet habebit medietatem obventuum funeralium in ipso monasterio provenientium. Si autem de consensu Capituli et curati funus absque ultimo vale in Ecclesia Parrhocciali deportetur ad monasterium tunc fratres duas partes obventionum retinebunt et tertiam partem earundem remittere capitulo et curato.

**D**ecimo de omnibus legatis et relictis in ultima infirmitate monasterio nostro de subditis Anderlectensibus hic sepultis recipient Capitulum et curatus quartam partem.

**U**ndecimo omnes alias oblationes apud nos et in anteriori Capella et in apportu delatas non debemus recipere exceptis illis oblationibus que fiunt in quatuor principalibus festis anni in monasterio. Et preter oblationes que in dictis quatuor principalibus festis aut dominicis diebus seu decem horum festorum. Epiphanie, Purificationis, Annunciationis, Ascensionis, Sacramenti, Nativitatis Joannes baptiste, Petri et Pauli, Nativitatis beate Marie, Michaelis et Omnium Sanctorum in Capella nostre Domine In missa et sub stola ad manum fient sacerdotis remitti debent Capitulo et curato.

**D**uodecimo quod de fundis edificiorum monasterii ad domorum nostrarum et ortis infra septa et nutrimentis animalium non solvimus decimas que nos tenemus. De terris cultis converse in aliam speciem habetur in alio laudo de anno Lxv penultima Octobris.

**T**ertio decimo quod de novalibus non solvimus decimas nisi prius solverint. Desuper vide etiam in alio laudo de anno predicto.

**I**tem quod de IX bonariis per nos eligendis non solvimus decimas sed solum unum novum denarium Lovaniensem pro quolibet bonario.

**I**sta sunt bonaria per nos electa ultimo sc anno LXXV post recessum patris nostri *Henrici* quamvis prius circa tempus predicti laudi alia fuerunt electa multum distantia.

**P**rimo retro horreum usque ad magnum vivarium ix Jornalialia.

**I**tem blocum iuxta magnam portam versus Anderlecht : quinque jornalialia Lx virgate.

**I**tem iuxta eandem portam versus silvam c...narum X jornalialia de hiis duo Jornalialia erunt libera a decimis. Et alia duo bonaria dabunt decimas, sed si postmodum converterentur in alium usum sc pratorum etc Tunc pro quolibet bonario dabimus unum sextarium siliginis, ex secundo laudo anni Lxv ut supra.

**I**tem retro cellas versus vivaria ad boream et versus Bruxellam tria bonaria duo Jornalialia.

**I**tem extra dumos ad dictam terram et illorum de Bigardis duo Jornalialia Xx virgate.

**I**tem terra illorum de Bigardis quam tenemus in censu etiam si non teneremus ut omnes petiae essent contigue loco trium ultra dictam terram jornalialium : tria Jornalialia.

Summa Viii bonaria tria Jornalialia Lccc virgate sic deficiunt nobis Xx virgate pro quibus computamus illam parvam petiam terre supra terram illorum de Bigardis versus communem plateam que continet circa Xxxiii virgatas et sic habemus bene nostrum.

**I**tem anno predicto sc M.Cccc.Lix in profesto sanctorum Cosme et Damiani parva Capella annexa Capelle nostre Domine de Gratia ad eius septentrionalem plagam fabricata consecrata et dedicata fuit cum suo altari in honore Sanctissimi Trinitatis et omnium Apostolorum per Reverendum patrem ac dominum D. Episcopum Dagnensem Suffraganeum Episcopi Cameracensis ordinis Carmelitarum Geldrensem qui contulit omnibus vere penitentibus et confessis XI dies indulgentiarum ex auctoritate Episcopi Cameracensis et totidem ex auctoritate propria.

**I**tem eodem die et anno idem Reverendus Episcopus et Suffraganeus dedicavit summum altare in choro fratrum cartusiensium ibidem degentium in honore sanctarum virginum Katerine et Barbare. Et duo alia altaria extra et ante eundem chorum in Ecclesia eorundem fratrum, unum in parte septentrionali in honore Beate

Marie virginis. Aliud vero in parte australi in honore beati Joannes Baptiste, Reliquens utrobique indulgentias secundum modum predictum.

**I**tem eodem tempore idem Episcopus et Suffraganeus transtulit dedicationem Capelle nostre Domine de Gratia quo ad monachos tantum ad dominicam illam que immediate precedit dominicam in qua historia beati Job erit inchoanda propter maius conveniens ut supra de eius dedicatione patuit.

**I**tem anno predicto fuit factum antependium ad chorum fratrum versum Austrum ad protectionem vitrorum a pluvia que influere quandaque solebat in sedes fratrum in choro.

**I**tem circa istud tempus seu modicum post fuit hic sepultus in parvo cemiterio iuxta dictam parvam capellam dominus *Ludovicus* quondam Prior et professus domus ordinis nostri in Divione quondam visitator provincie Francie qui obiit circa Bruxellam. Unde notandum quod dictus dominus *Ludovicus* per Capitulum nostrum fuit absolutus a prioratu dicte domus forte anno precedenti quod ipse egre ferens et putans non meruisse absolutionem transtulit se ad ducem Burgundie Philippum sibi favorabilem ut adiutorio ipsius restitueretur in prioratum suum propter quod etiam romam tetendit impetrans ad idem literas summi pontificis. Et cum cuncta impetrasset et descendendo venisset iuxta Bruxellam in qua tunc dictus Dux manebat subita infirmitate correptus diem sine loquela clausit extremum. Unde admirans dicti Ducis Cancellarius a similibus dicit patribus ordinis qui propter dictum dominum *Ludovicum* missi fuerunt ad prefatum ducem pro eodem placando ne indignaretur toti ordini propter dictum *Ludovicum*: O nunc cognosco quod deus diligit ordinem vestrum et tuetur, quia si dictus *Ludovicus* potuisset venisse ad predictum Principem et sibi fuisset locutus de causa sua ordo vester valde habuisset pati. Sed dominus Jesus liberavit ordinem vestrum ab inimico et turbatione magna et ipsi eidem patres iuverunt eundem hic sepelire sed Prior Capelle et visitatores noluerunt ut pro eo solveretur brevis et alia communia suffragia ordinis a fratribus. Unde audivi quod postmodum revelavit se cuidam in domo sua et dixit: Si beneficia ordinis fuissent pro eo soluta quod fuisset liberatus a pena. Sed utrum sic sit vel non deo totum committamus.

**I**tem frater *Henricus vanden Heetvelde* conversus huius domus satis devotus pro certo affirmabat se vidisse spiritum huius *Ludovici* vel formam eius iuxta altare sancte Crucis vel potius Joannis Baptiste in quarto tempore matutinali.

**I**tem circa festum Purificationis anno prefato fuit hic



vestitus *Egidius Coelman* de Bruxella, sed non perstitit in ordine imo tempore novitiatus debilis caput effectus et maxime temptatus exivit qui postmodum bene voluisset fuisse in coquina sed non obtinuit.

**I**tem eodem anno Prima Aprilis fuit hic vestitus frater *Thomas Meeck* de Bruxella Sacerdos et Capellanus sancte Gudile et unus ibidem ebdomadaliu Sacerdotum qui multo tempore hic fuit cantor chori, ligator plurium librorum et formator brillorum etc./2d cuius patentes hic nobiscum sunt sepulti pater in parvo cemiterio iuxta parvam capellam, mater vero hic in magno cemiterio in ambitu qui relinquerunt domui domum suam sitam Bruxelle iuxta portam Sancte Katerine quam vendidimus *Nicolao Keyerman* serifico qui in ea adhuc moratur. Hic frater post multas passiones quas sustinuit tam de calculo quam etiam aliunde tandem vero anno domini Xcii ipso die sancti Joannis Baptiste ex hac luce emigravit.

**A**nno Lx in aprili *Joannes Herentals* carpentator fecit turrim que affixa est Capelle nostre Domine de Gratia quia parvula turris que stabat supra chorum monachorum in pulsatione nole in ea pendentis semper movebatur et timebatur de casu et sonus nimis exilis erat, et sic ista turri completa illa deponeretur que facta fuit in principio huius domus et in estate huius anni fuit turris tecta et campana posita etc reliqua facta de plumbo et aliis in et ad eam.

**I**tem eodem Anno feria quinta post festum pasce incepta sunt fieri Vivaria versus boream huius domus et deinceps completa adiuvante domino *Waltero vanden Winckele* pie memorie.

**I**tem eodem Anno *Egidius N* fecit domum lignorum cum appendicio eius exterius puto pro una parva cella nunc deposita que domus est inter braxatorium et puteum.

**I**tem eodem Anno post Nundinas Pentecostes missa fuit hic una campana que vocatur Melchior ut inscriptio testatur ponderum li<sup>c</sup>Lxxxv vel circiter quam dederunt in eleemosinam D. Franciscus miles Cathalanus servitor ducis et *Jacottij(sic)* adiutor eius et Magister Joannes de Buscoducis.

**I**tem pridem Prior fecit fieri seu emit unam minorem Campanam vocatam Mariam ut patet in titulo eius ponderum Centum quinquaginta quinque. Et iste due campane fuerunt benedictae seu baptizate a curato de Anderlecht et nominibus prefatis nominate. Quarum maiore utimur in pulsando : minore vero in horologio.

**F**uerunt autem in principio due parve alie campane quarum

una data fuit in solutionem campane dicte Maria. Alia puto fuit vendita uni domui ordinis seu hospitali sancti Cornelii in Bruxella. Que due ultime parve campane fuerunt baptizate ante adventum fratrum Xxi<sup>a</sup> Junii anno Lvi.

**I**tem isto anno puto venit frater *Judocus* de domo Montis Dei ad domum Antverpie et postmodum de domo Anverpie ad hanc domum in qua etiam fecit professionem et fuit sacrista post fratrem *Hermannum Lochem* et scripsit Britonem super prologos Biblie exceptis prologis epistolarum Pauli. Et anno Lxx venit a Capitulo generali quod idem frater *Judocus* rediret ad domum professionis sue sc Montis Dei et ibi haberetur pro professo et sic domus ista fuit absoluta ab eodem.

**I**tem eodem anno *Hermannus Anderlecht* accepit a Capitulo Anderlectensi tria Jornalialia terre arabilis in certam censam super quam ipse edificavit parvam domum et fecit ortum ad tempus Lx annorum quam terram nos nunc habemus a capitulo.

**I**tem Magister *Michael* habuit pro novo horologio quod est pro conventu Xi coronas sed puto quod idem obiit antequam plenum potuit probare et experiri eiusdem convenientiam.

**I**tem hoc anno *Nicolaus Vits* fecit testitudinem ligneam in parva Capella ex parte Domini de Cernii.

**I**tem tunc etiam fuit perfecta 2<sup>a</sup> cella Ducisse Izabelle, sc hoc anno sed prima eius cella fuit completa anno precedenti et modicum de 2<sup>a</sup>.

**I**tem x<sup>a</sup> Decembris huius anni Lx emptum fuit horreum nostrum in Lombeke B. Katerine stans Xxxvi petris et postmodum huc adductum et reparatum et positum in loco suo.

**I**tem eodem anno circa Natale domui institerunt hic pro loco magister *Joannes Hac* et dominus *Joannes Biest* et ambo fuerunt recepti ad osculum. Magister *Joannes Hac* primo et dominus *Joannes Biest* secundo sed quia dominus *Joannes* primo fuit vestitus ideo semper tenuit primum locum inter ipsos duos.

**I**tem anno ~~eodem~~ 1461 altera Prisce virginis fuit hic vestitus dominus *Joannes Biest* sacerdos qui circa XV annos satis religiose conversatus et diligens scriptor existens dummodo *Marcelius* Vicarius eligeretur in Priorem *Henrico* misericordiam impetrato per Capitulum ordinatus est predictus frater *Joannes Biest* in vicarium et in eodem officio deguit cum *Marcelio* priore XII annis et etiam cum successore eius priore *Mathia tSergoossens* XVII annis. In quo officio multos libros fecit in scribendo videns enim Ecclesiam nostram sobrie provisam sicut sepius mihi narravit in animo concepit ut cum labore proprio eam in libris necessariis ornaret. Unde infra nominatos libros scripsit sc Tria Missalia cum dimidio vel quatuor. Omeliare festivaie, Dialogum Gregorii cum Omeliis eiusdem super Ezechielem

f° 38v.

et super cantica. Tres maiores antiphonarios Ecclesie, sed tertius tamen solum scriptus textualiter est ab eo quia morte preventus reliqua sc note et glosa floratis completa sunt per fratrem *Judocum* discipulum suum etiam postea vicarium. Moralia Gregorii quo ad primam et secundam partes. Horas de Domina cum horario diurno ad legendum in ecclesia—— cella et quatuor vel quinque Gradualia notavit. Et plura alia pro extraneis salva obedientia et mercede pro utilitate communi veniente. Insuper multa opprobria et impropria et contradictionem sustinuit a fratribus conventualibus satis iniuste et sepius sine causa. Sed patienter sustinens taciturnitate et sollicitudine omnes devicit. Unde sepius sicut vidimus quando quidam ei impropria aut vituperia invexerunt statim ad cellam se dedit nec raro alicui conquerebatur sed bonis operibus se mancipavit sc studendo scribendo vel orando vel aliis. Et tandem senio fractus quia plures discipulos habuit in vita sua vidit maiorem partem Chori repleri per discipulos suos quos instruxit pluribus laboribus et anxietatibus et illos admonuit dicens hoc verbum crebrius : Videte ne forte sanctus ordo vilescat aut tepescat in vobis quia senes recedunt et iuvenes continue adveniunt quia ipsis quotidie locum facimus. Et sepius in fine oravit ut cum placeret altissimo quod Spiritum eius auferret brevem ei moram faceret ne urinatione et aliis fedis necessitatibus corporis insudando servitoribus tedium et nauseam faceret. Quod et factum est. Nam die Exaltationis Sancte Crucis M.ccccc.quarto satis fortiter et hilariter in refectorio convescens ad cenam parum doluit febricitando aliquantulum. Altera die que tunc erat dominica cum sequenti nocte graviter laborabat in febribus et eadem extremam unctionem reverenter petiit et accepit. Altera autem esse feria 2<sup>a</sup> mane sub privatis missis parum de memoria et intellectu possidens cum caput suum verteret ad lecticam astante infirmario et pro eo vel cum eo horas legente Spiritum exalavit ipso infirmario ignorante. Cuius anima per misericordiam dei requiescat in pace. Amen.

**I**tem die conversionis Pauli eiusdem anni frater *Joannes de Coese* donatus de Zeelem unus de primis qui huc advenerunt in principio indutus fuit ad probam in statum conversi et anno sequenti professus qui innumerabiles hic fecit labores in Coquina in Braxatura et Pistura et negotiis diversis summus sollicitus et utilis domui gratus multum hospitibus etc.

**I**tem circa idem tempus fuit factum de argento ex Capella et alio nostro magnus calix summi altaris habens in novo *(sic)* Ave Maria.

Item circa Martium anno predicto empti sunt sic equi currus et similia ad agriculturam pertinentia et ab illo tempore usque nunc tenemus agriculturam.

**A**nno Lxi circa festum Sacramenti recessit de domo ista frater *Jacobus Russche* monachus professus domus Hollandie qui fuit hic Vicarius et tunc loco eius factus est Vicarius tunc procurator hic frater *Jaspar*. De loco illius factus fuit procurator *Joannes de Bruyne* primus secularis hic professus.

**I**tem eodem anno die Bernardi vestitus fuit hic magister *Joannes Hac* promotus in artibus Parisiis Gandensis laicus et secularis et anno sequenti professus qui ordinavit hic unum Leonem annue pro anniversario parentum suorum et fecit hic scribi suis expensis multos libros sc in primis Catholicon preciosum quod iacet communiter in Ecclesia ut omnes monachi habeant usufructum eius, quartam partem biblie que est minor ceteris partibus bona fractura, legendas sancti Francisci, sancte Clare et Sancte Colete in uno volumine in bastarda litera, Statuta in simili litera, Horas de Domina in simili litera. Etiam ipse met in propria persona scripsit Psalterium magnum quod iacet semper in Ecclesia in bona factura et duo Vespitalia magna et Evangelia per totum annum ex quo diaconus cantat Evangelium in choro. Et omiliare Dominicale quod ultimo complevit et pre senio deficiens deteriolem literam scripsit ut patet in fine eiusdem libri. Et nota quod idem frater *Joannes Hac* missus fuit mediantibus precibus propriis ad *domum monialium prope Brugas* in qua mansit uno anno et mense et rediit dominica ante Assumptionem Marie anno Mcccc.lxxxi.

Iste etiam frater *Joannes Hac* monachus in vita sua erat cuiusdam simplicitatis et fervorem habens et se habere ostendens. Nam sepius abstinuit in pane et aqua, sed et cum nolisset comedere pitantiam venit ad vicinum suum vel ad ministros dicens. Date hoc propter deum. Etiam pre simplicitate inseruit virgulta nova in antiquis baculis dum statibus in horto suo et iam multo tempore arefactis et et circumligans insertione cum ficu dixit Valde bene crescet istud virgultum propter pinguem ficum circumligatum et fere omni mane venit invisere virgultum an si convaluit et crevit. Et alia multa puerilia fecit. Tandem senio confectus multo tempore quasi puer custodiri debuit, unde comedere et urinare

f<sup>o</sup> 39v.

nobis presentibus cupiens nec quidem levavit vestimenta sua nec adiutorium petiit sed more puerili se ipsum fedavit. Unde infirmarius adhuc suspicionem se puerilitate eius habens apponens ei mensam et panem et valedicens ei abiit ad cellam suam dormire cupiens. Mane autem facto venit invisum predictum fratrem infirmum vel puerilem et ecce adhuc sedebat ad mensam suam cum apposito pane etc. et tunc videns innocentiam eius diligentius cepit habere custodiam. Appropinquante autem termino quo moreretur non habuit sensum nec memoriam. Et prior cum conventu ad eum inungendum veniens nullum signum responsionis dedit. Unde propterea communionem ei non dedit Circa Vii vel Octavam horam noctis graviter laborans et pre amaritudine mortis sepius volens surgere de lecto statim obiit. Cumque ministri vidissent quasi corporis eius solidationem et eum infriguisse laverunt corpus eius more solito et insuerunt more ordinis. Cumque iam fere totus insutus esset circumstantibus ministris ingenuit adhuc semel laboriose ita quod gemitus vel anhelitus eius audiretur ab eis et prolongavit tibias vel potius totum corpus suum per dimidium pedem vel palmam unam, ita quod ex toto resuendus esset. Cuius anima requievit in pace Anno M.cccc.xcvii in profesto Conceptionis beate Marie. Notetur propterea diligenter ne nimis(*sic*) festine(*sic*) corpora senium involvantur, minus autem corpora iuvenum que interdum reviviscunt.

**I**tem eodem anno post augustum vel circiter frater *Cornelius* dimisit Sacristiam et loco illius factus est Sacrista Frater *Hermannus de Lochem*. Et tunc idem *Cornelius* cepit primo inhabitare cellam primam novam factam Ducisse Elizabeth. Et frater *Thomas* secundus professus huius domus ut supra cepit habitare in 2<sup>a</sup> nova cella eiusdem Ducisse.

Item eodem anno die Thome Apostoli fuit hic indutus frater *Joannes Roberti de Merchtene* sacerdos secularis et anno sequenti professus qui fuit hic Sacrista aliquo tempore, postmodum anno Lxx in principio Maii ivit cum aliis ad inceptionem domus de Delft electus, illuc missus. Post aliquot annos inde venit ad domum Hollandie ibique pro tempore vicarius, iterum hoc anno Lxxx (*sic*) rediit ad domum Delfensem qui multos libros scripsit in papiro et apportavit.

**I**tem in Martio anno eodem et in estate sequenti fiebat preparatio tam lignorum quam etiam cespitum pro combustibilibus

f° 40

laterum faciendorum pro 3<sup>a</sup> et 4<sup>a</sup> cellis novis qui facti et cocti fuerunt anno Lxiii.

Item circa Martium empta ~~sunt~~ fuit etiam preter currus prius emptos cum aliis requisitis una nova biga ad ligna ferenda qui anno Lxxix fuit vendita *Michaeli Slachmoldere*.

**A**nno Lxii xia Maii fuit sepulta in parvo cemiterio iuxta Capellam mater magistri *Zigeri van Hasselt* sc Domicella *Joanna vanden Wege*. Et in die Vincentii anni LiiiiClxxi translata in magnam cemiterium in ambitu sub lapide ibidem posito.

**A**nno Lxii in nundinis Pentecostes Frater *Cornelius* monachus professus de Zeelem qui hic fuit cantor chori et sacrista et tunc in cellam eius sc primam novam intravit *Hermannus* pro tunc Sacrista sed loco eius fiebat frater *Judocus* Sacrista qui frater *Cornelius* multa scripsit pro ista domo et reversus est ad domum professionis sue.

**I**tem eodem tempore et anno frater *Petrus de Casleto* monachus professus domus Silve S. Martini iuxta Geraldimontem reversus est ad domum professionis sue qui obiit in eadem Anno puto Lxxii.

**I**tem eodem tempore et anno frater *Joannes Colaert* conversus domus Brugis reversus est ad domum professionis sue qui obiit ~~eodem~~ anno Lxxx.

**I**tem eodem anno die Mathei *Marcelius Voet de Steenbergis* in finibus Brabantie circa *Bergas super Zomam* promotus in artibus Lovanii receptus fuit hic ad osculum et die Jeronimi indutus et anno sequenti professus qui ultra ea que exposita sunt pro vestibus et aliis necessariis suis tantum xi Renenses semel hic apportavit. Iste monachus fuit magne litterature et plures libros in principio domus correxit ad rectum stilum et quasi post octo annos sc anno Lxx in \_\_\_\_\_ principio Martii ordinatus est Vicarius et corrector, fratre *Joanne de Bruyne* Vicario promoti in procuratorem propter recessum *Jasparis* procuratoris ad novam plantationem in Delft missi. Ipse etiam aliqua scripsit precipue unum magnum nocturnale pro infirmario ad legendum et aliquas horas diurnas et alia. multum enim dilexit studium. Cumque continuasset vicariam suam quatuor annis cum dimidio, Priore *Henrico* per Capitulum misericordiam impetrato electus est predictus *Marcelius* in Priorem anno Lxxv tertia Junii et ordinatus est pro

f° 40<sup>v</sup>.

eo in vicarium frater *Joannes Biest de Flandria* iuxta Geraldimontem. Et continuavit officium prioratus viriliter multis laboribus mediantibus. Multam contradictionem sustinens patientiam servavit et monasterium in edificiis et redditibus ampliavit et tandem cepit continuare Ecclesiam novam in cuius opere defecit tam in necessariis ad edificationem sc pecuniis et aliis et etiam magnis infirmitatibus. Tandem gravissime agonizans Obiit Xii<sup>o</sup> anno sui officii anno M.cccc.lxxxvii Huius prioris legendam vide infra plenius Anno lxxxvii<sup>o</sup>.

**I**tem sabbato quatuor temporum in adventu frater *Joannes Hac* fuit Bruxelle ordinatus subdiaconus.

**I**tem eodem anno circa natale domini fuit hic indutus frater *Godefridus Boelen de Blisia* sed non perseveravit nam post viii vel ix menses habitum exuit et aliquo tempore exterius cum laicis nostris mansit sed nec ibi permansit adhuc manet secularis et faciendo pelliceas et scribendo se sustentat adhuc habens desiderium hic mori ut mihi in brevi dixit.